DE ADMIRABILI CHRISTI IN COELUM ASCENDENTIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN...

Lodovico Valenti



9.

DE ADMIRABILI CHRISTI *In Cælum ascendentis* MYSTERIO

ORATIO

Habita in Basilica Lateranensi

CORAM

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTE XI.

A LUDOVICO DE VALENTIBUS.



ROMAE MDCCXVIII.
Ex Typographia Francisci Zinghi, & Josephi Monaldi.

Superiorum facultate.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

D. CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

LUDOVICUS DE VALENTIBUS
Felicitatem.



UO erant, BEATISSIME PATER, quæ me ab hac dicendi provincia maximè deterrebant, & de ineffabili Ascensionis Dominicæ mysterio verba facere, & de eo

 ipso,

ipso, Te coram, Teque audiente, dicere. Alterum siquidèm videbam [a] humanæ intelligentiæ altitudinem, & totius eloquii facultatem vincere: Alterum tanti ponderis esse, ut eloquentissimo cuique jure videatur extimescendum. Cum tamen Te, & præclaras tuas Virtutes, quibus summa temporum difficultas admirationis, & gloriæ plurimum conciliavit, diligentiùs animadverterem, facilè intellexi, nec peropportunum orationi argumentum, nec dicenti vires, animumque defuturum, si Te unum intuerer, Teque unum mea spectaret Oratio. Nàm prætorquamquod ea singularis humanitas,

[a] S. Leo Serm. de Passione Domini.

*tas; quam cum Pontificia Maje-
state in Te maximè conjunctam
esse admiramur, ad dicendum alli-
cit, suavitèrque invitat; Non nè
Orationis quoquè, qualiscunque
illa sit, argumentum à clarissimis
Virtutum Tuarum exemplis om-
ninò profitear acceptum? Quid
enim immensi labores Tui, quid
vigiliæ, quid [a] instantia quotidia-
na, & solicitudo omnium Ecclesia-
rum, quæ Te, dies, noctesque oc-
cupatissimum habet, nobis prædi-
care videntur, nisi perpetuò esse
pro ea Gloria laborandum, ad
quam hodiè Christus J*ESUS *non-
nisi per Crucem, & durissimam
mortem ascendit? Utinam non*

[a] 2. ad Corinth. 11. 28.

 im-

impar mihi tanto argumento eloquentia fuisset!; Sed fortassè tàm illustre, ac præclarum exemplum, Te videlicèt, indicasse sufficiet, ut nimirùm, quod mea dicendi tenuitas minùs luculentèr expresserit, id clariùs in magnis Tuis, admirandisque Virtutibus perspectum, cognitumque habeatur. Unum itaquè superest vehementèr optandum, ut clarissimum hoc Sapientiæ, ac Virtutis Tuæ lumen diù nobis liceat intueri, ut aliquandò & nos, & universa Christiana Respublica ad ejusmodi exempla valeat conformari.

ORATIO.



IRUM profectò, BEATISSIME
PATER, quòd, Unigenito
Filio DEI Christo JESU ad
Cælos, undè venerat, ho-
diernâ die redeunte, Disci-
pulisque novâ rei admiratione dudùm,
hærentibus, & in Cælum ore, vultu, ocu-
lisque defixis intuentibus,[a] duo Viri juxtà [a] *Act. Apost. cap. 1.*
illos in vestibus albis adstantes eximiam
hanc, præcipuamque pietatem reprehen-
dere magìs quodammodò, quàm commen-
dare videantur ![b] *Quid statis*, inquiunt, [b] *Act. Apost. cap. 1.*
aspicientes in Cælum? quid? nùm Cælum non
aspicerent, quò prædilectus Magister, quò
Pater amantissimus palàm,[c] ipsisque vi- [c] *Act. Apost. cap. 1.*
dentibus, nupèr ascenderat ? Cælum,
inquam, non aspicerent,[d] ubi eorum Cor, [d] *Matth. 21.*
eorum Thesaurus, Christus scilicèt recon-
debatur ? Quid enim jucundius ? quid
optabilius, quàm Cælum illud intueri,[e] [e] *S. Leo Serm. 1. de Ascens.*
cujus eâ die in Christo possessores firmati
non ignorabant,[f] quàm multa ibi futura [f] *Luc. 6.*
esset

esset sibi merces, & quò probè intellige-
[a] Joann. 14. bant, idcircò Dominum præcessisse, [a] ut pararet eis locum? Quæ denique major voluptas, quàm in eo Monte consistere, Cælumque ex ea parte contemplari, quâ primò ad Cælum iter, primamque Empyrei Portam patuisse conspexerant? Quid est igitur, quòd de pia ejusmodi Discipulorum contemplatione Beatissimi Spiritus obstupescunt, eosque quasi desides, aut segnes increpitant: quid statis aspicientes in Cęlum? Faveat nobis Divini Spiritus gratia, faveat, ut arcana Sapientiæ scrutemur, ut magnum hoc Angelicæ locutionis mysterium & agnoscamus, & veneremur.

[b] Joann. 13. Quod potissimùm Dominus [b] de hoc Mundo transiturus ad Patrem Discipulis commendaverat, illud sanè fuerat, ut Evangelii prædicatione susceptâ, fundamenta Fidei jacerent, & apud omnes undequaque Gentes, ac Nationes Evangeli-
[c] Marc. 16. cæ lucis radios diffunderent: [c] *Euntes in universum Mundum prædicate Evangelium omni Creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ad hoc siquidèm unum

ille

ille de Cælo descenderat, [a] in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, ad hoc sane mortuus, & sepultus, ad hoc resurrexerat, ad hoc deniquè hodiè [b] super omnes Cælos ascendit, nobisque Cælorum januam reseravit. Cùm itaquè Discipuli præsentium gaudiorum contemplationis dulcedine illecti in eo ipso Monte, undè Christus ascenderat, diutiùs consisterent, seque minùs solicitos [c] de prædicando Evangelio, ac de gloria Regni Dei demonstrarent, jure quidèm, Cælestes illi Spiritus obstupuerunt, quod, videlicèt, [d] suspicientes in Cælum starent potiùs, quàm Mundo miraculum hoc, & Christi adventum prædicarent; obstupuerunt, inquam, quòd Cælum otiosè contemplarentur, nec pro eo obtinendo [e] antè Reges, & Præsides stare, [f] nec contumelias pati pro nomine JESU properarent. Mysterium itaquè intelligamus. [g] Elevantur hodiè portæ illæ æternales, & Rex Gloriæ Dominus super omnes Cælos ascendit, ac nobis Paradisi janua aperta est. [h] Quid ergò stamus? quid hæremus? Pro-

[a] Ad Philippen. 2.
[b] Ad Ephes. 4.
[c] Matth. 13.
[d] S. Athanas. tract. 36.
[e] Marc. 13.
[f] Act. Apost. 5.
[g] Psalm. 23.
[h] S. Thoma de Villan. Cronicon. 1. de Ascension.

Profectò in Cęlum aſcendere cum Chriſto cupientibus neque otiosè ſtandum, neque deſidiosè pugnandum. [a] Patefacta eſt ſanè in ſomnis Jacob via Cæli, viditque Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ, ſed poſt anguſtias itineris, & in labore peregrinationis. [b] Vidit Stephanus ſibi Cælos apertos, ſed tunc planè vidit, cùm, lapidantibus Judæis, pro Fide intrepidè, fortitèrque pugnaret. Nec enim [c] coronabitur, Paulus clamat, niſi qui legitimè certaverit; [d] quippè Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. [e] Quod quidèm aggrediendum eſt nobis non ferro, ſed pietate, ſed fide, ſed charitate, ſed bonis operibus: [f] quis enim, ut ſedulò Propheta interrogat, quis aſcendet in Montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens, nimirùm, manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, qui ſcilicèt non in deliciis, fluxiſque hujus ſęculi voluptatibus animam poſuit, ſed [g] qui abſtinet ſe à carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam, quiquè præ-

[a] 2. Geneſ. cap. 28.
[b] Act. Apoſt. 7.
[c] 2. ad Thimot. 2.
[d] Matth. 21.
[e] S. Ambroſ. to. 5. Serm. 5.
[f] Pſalm. 23.
[g] 1. Petr. 2.

prætereà [a] ficut Dei miniftrum fe exhibet in multa patientia, in tribulationibus, in neceffitatibus, in anguftiis. Et fanè nùm aliâ ratione Dominus Unigenitus Filius Dei afcendit in Cælum? ipfum audite: [b] non nè oportuit Chriftum pati, & ità intrare in Gloriam fuam? [c] afcendit quidem ille fupra Cherubim, & ultra Seraphim; elevatus eft ufque ad dexteram Dei Patris, [d] fed ipfe eft, qui defcendit, [e] qui femetipfum exinanivit formam fervi accipiens. [f] Sedet, reverà fedet à dextris Dei, [g] fed hęc merces obedientię illius, hoc Crucis, & mortis ftipendium; [h] propter quod & Deus exaltavit illum. [i] Data eft mihi, inquit, omnis poteftas in Cælo, & in Terra. Magna planè dignitas! magnum inenarrabilis gloriæ argumentum! [k] fed indè exaltatus, undè priùs fuerat humiliatus ufque ad alapas, ufque ad irrifiones, ufque ad flagella, ufque ad mortem. Quid ftamus igitur afpicientes in Cælum? certè, [l] fi compatimur, & conregnabimus. [m] Chriftus enim paffus eft pro nobis, hoc nimirùm relinquens exemplum, ut fequamur ve-

[a] *Ad Corintl. 6.*
[b] *Luc. 24.*
[c] *S. Jo: Chrifoft. Serm. de Afcenfion.*
[d] *Ad Ephef. 4.*
[e] *Ad Phil ppen. 2.*
[f] *Ad Coloffen. 3.*
[g] *S. Ciprian. de Afcenfion.*
[h] *Ad Philippen. 2.*
[i] *Matth. 28.*
[k] *S. Th. de Aquin. Concion. 1. de Afcenfion.*
[l] *S. Leo Serm. 19. de Paffion. Domini.*
[m] *1. Petr. 2.*

[a] *S. Augustin. Serm. 3. de Ascension.*
[b] *Joann. 12.*
[c] *Psalm. 63.*

veſtigia ejus. Aſcendentis itaquè veſtigia ſequamur, [a] ſequamur ſcilicèt bonis operibus, ſequamur ſpe, ſequamur corde, & quandoquidem ipſe fore promiſit, ut aliquandò [b] exaltatus à terra omnia traheret ad ſeipſum, illud votis omnibus poſtulemus, ut quoniam hodiè ſuper omnem creaturam exaltatus ad dexteram Patris ſedet; [c] ità & nos cum Chriſto ad cor altum accedentes illius Cæleſtis Gloriæ participes eſſe mereamur.

